Super præmia[...] Paren[...]
Fratri, Sororibus, totiq; adeo familiæ [...]
Nobilissimæ, luctuosissimâ, ex hoc m[...]
rum lachrimarumq; ergastulo, emi-
gratione

Nobilissimi, florentissimi, variegatis Virtutum coloribus dotibusq; ornatissimi, Spe & expectatione magnâ, Eruditione juxta ac doctrinâ non proletariâ eminentissimi Adolescentis

JOHANNIS PRUSS

Qui
Die 23. Augusti, Cœli qvod fuit cœlo, 25. vero ejusdem Mensis, terræqvod fuit, terræ, magno cum universæ familiæ luctu & lamento reddidit. Thorunii Anno á Christi Salvatoris salutifera Nativitate

cIɔ Iɔc LVI.

Condolentiæ contestandæ causa
Fusa

á

LUDOVICO MÖLLERO.

THORUNII,
Apud MICHAELEM KARNALL.

Sorores,

[illegible] lugete D[illegible], mœstasq; querelas
[illegible], lugentes lachrimarum fundite rivos
[illegible] efferte sonos, laquearia cœli
[illegible] pulsare juvet, nitidi penetratia Templi
His effringatis querulæ: Permagna doloris
Causa subest casusq; subest. Quæ lumina luctum?
Quæ lachrimas cohibere queunt? Sat magna doloris
Materies offert sese; Quæ quæritis illa
Materies fiet ampla jubet quæ fundere rivos?
PRUSSIADÆ cecidit decus & Spes maxima Gentis,
Gentis ab antiquo sumit quæ nomina tractu,
Quæq; per innumeros im nostrâ floruit annos
Urbe Thoruneâ, floret, florebit ad usq;
Donec in oceanum celer omnes egeret undas
Visla suas, donec conspectum sidera nostrum
Jn cœlis pascent, periuri machina mundi
Donec erit, donec stabunt laquearia cœli.
Hoc decus, hoc columen, nitidæ Spes maxima Gentis
Exprimat ex oculis lachrimas & flumina vestris
Morte suâ, subito Spem præter & accidit omnem
Quæ nitidæ, summæ, celebriq; per omnia Genti.
Vos, Orchomeniæ, lachrimarum flumine, Divæ
Quem deflere jubet Pietas, Æquumq; requirit
PRUSSIADES coluit studio fervente, repostam
In vobis habuit semper spem fervidus unam,
In vobis animum semper defixus habebat,
Vos mirabatur, vos deliciumq; vocabat
Jlle suum, ardenti vos deperdebat amore
Jllius in vobis fuit una locata voluptas.

Et

Et cessatis adhuc lachrimas & fundere flectus?
Cessatis mortem , querulis deflere querelis
Jllius, ingenti qui vos quærebat amore.
Una hæc materies luctus hæc una doloris,
Causa fuit, reliquas etiam superaddere causas
Justitia ipsa jubet, tum Justitiæq; Satelles
Mandat idem poscit clamatq; & flagitat Æquum.
Dignus Thespiades quem deploretis habetur
PRUSSIADES, luctu quem deploretis acerbo
Ob Virtutis opes, pręclaraq; semina mentis,
Corporis ob dotes, ob acumen mentis acutum
Ingeniumq; sagax. Seges & confluxus in illo
Virtutum fuerat. Pietas ante omnia fulsit
Jllius ex oculis, laudata Modestia vultum
Semper honestabat, malas Verecundia pinxit,
His se se Probitas junxit, Candorqve latente
Fraude carens, fucoq; carens, & acumine tecto
Fallere qvo sverunt Homines sub tegmine recti
Affanias faciunt qvibus & nugamina vendunt
Decipiuntqve qvibus simplicia corda Sophistę.
Se qvoqve visendam fecit Prudentia talis,
Qvæqve hujus Comes est in eo Sapientia luxit,
In tenerâ qvalis svevit lucere juventa.
Has propter dotes, Virtutis munera propter
Charus erat, gratusqvè fuit Juveniqve Seniqvè
Dignus item Pylios, vivax qvi veveret annos.
Ecce sed in tenerâ necat hunc sicilice juventa
Atropos, & nostris illum detrectat ocellis.
O furor! o rabies! crudelia Numina Parcæ
Tantane vos rabies agitat, vos parcere Parcæ

 Ut non

Ut non possitis rabidæ juvenilibus annis.
Cum propter Virtutis opes teneramq; juventam
Parcere non illi voluistis, parcere propter
Et Genus & Proavos decuit clarosq; Parentes,
Clima Borussiacum quorum sacra nomina novit
Et Lechicum pariter, patriiq; referre Penates,
Et longa serie possunt narrare Nepotes,
Thorunium quorum vivaci nomina cedro
Inscripsit, famæ consecravitq; perenni,
Ob merita, & patriæ bene præstita commoda terræ.
Ingenii propter multi laudantur acumen
Corporis eximiumq; decus, formamq; decoram,
Hæc propter laudandus erat, memorandus & idem,
Quem Lachesis clotoq; ferox modò falce peremit,
Scilicet hæc in eo se conspicienda ferebant
Omnia, se nodo conjunxeruntq; fideli.
Has animi dotes præclaraq; munera Mater
Mœsta dolet, Fraterq; dolet, lugentq; Sorores
Turturis atq; instar viduati Conjuge, tristes
Emittunt gemitus, mœsta & suspiria ducunt.
Inprimis nostræ Patruelem maximus Urbis
Luget Atlas, gemitus mittit, suspiria ducit,
Tantum non altas motu penetrantia nubes.
Mœsta sed ô Genetrix, Frater, mœstæq; Sorores
Tuq; decus patriæ lumen columenq; Thorunæ,
Mittite ploratus, suspiria mittite frustra est,
Quem deploratis mœsti non inde redibit,
Nec rediisse cupit, lætas ubi carpere voces
Atq; referre datur: sunt sunt ubi gaudia, prorsus
Non ullos habitura modos, non tempora, fines.